

# IUS ASSOCIATIONIS ET ASSOCIATIONES FIDELIUM IUXTA CONCILII VATICANI II DOCTRINAM

Uti omnibus notum est, inter partes vigentis Codicis Iuris Canonici quae profunda recognitione indigent recensenda merito est legislatio circa fidelium associationes, quod quidem patere videtur cum e recenti doctrina canonica et ecclesiologica tum ex ipsamet Ecclesiae vita<sup>1</sup>.

Insufficientiae, lacunae et obscuritates quae in vigenti legislatione animadvertuntur eo evidentiores fiunt quo magis intelliguntur exigentiae ordinis iuridici quas secum fert doctrina Concilii Vaticanii II circa Populum Dei et quo magis perspectum habetur quomodo phaenomenon associativum inter homines nostris praesertim temporibus crevit atque dilatum est.

## I. DE CODICIS SYSTEMATE

Ante Codicem promulgatum, praecipua pars doctrinae ecclesiologicae principium socialitatis in Ecclesia fere unice reponebat in relatione inter Hierarchiam et fideles. Ecclesia est societas, aiebant scriptores, quia Hierarchia pollet potestate iurisdictionis et ordinis erga fideles; fideles vero habebantur ut mera subiecta passiva utriusque potestatis. Hac de causa, communis erat affirmatio quod laicorum officia erga Ecclesiam reduci poterant ad officium oboedientiae et officium reverentiae. Eo quod socialitas reponebatur in sola relatione hierarchica, mirum non est quod laicorum associationes considerarentur tamquam phaenomenon organizationis Ecclesiae, quod phaeno-

1. Cfr. e. g. G. ONCLIN, *Principia generalia de fidelium associationibus*: Apollinaris 36 (1963), pp. 68-109; E. EICHMANN-KL. MÖRSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, I, München-Paderborn-Wien 1959, pp. 557 ss.; J. CREUSEN, *Associations pieuses*: DDC, I, col. 1.270-1.271; A. PRIETO, *Los derechos subjetivos públicos en la Iglesia*, in volumine *Iglesia y Derecho*, Salamanca 1965, pp. 348 ss.; P. RODRÍGUEZ, *Contribución a una teología del apostolado organizado*: Palabra 21 (1967), pp. 9-15.

menon et a Hierarchia exsistentiam recipiebat et ab ipsa gubernabatur.

Praesupposita hac conceptione Ecclesiae unice hierarcologica, logicum apparet ut sistema Codicis circa fidelium Associationes duobus fundamentalibus principiis innitatur, e quibus cetera praescripta ortum ducunt:

1. Associationes vitam obtinent *in Ecclesia* —cfr. can. 686, § 1— unice per erectionem vel approbationem ecclesiasticae auctoritatis, nempe per actum Hierarchiae. Solummodo hic actus —numquam vero concurrens voluntas fidelium— habetur ut constitutivus Associationis.

2. Fidelium associationes, quaecumque sit ipsarum species, semper esse debent sub ductu Hierarchiae. Universae associationes, iis non exceptis quarum fines non secum ferunt cooperationem immediatam et directam cum apostolatu hierarchico, submitti debent interventui gubernativo Hierarchiae. Ordinarii (et, pro Tertiis ordinibus, etc., Superiores religiosi) facultate gaudent interventus, etiam in ambitu interno associationis, quae superat limites potestatis iurisdictionis: a correctione statutorum (CIC, can 689, § 2) vel iure visitationis (can 690, § 1) usque ad designationem moderatoris vel cappellani (can. 698) vel ad potestates concessas in canone 715.

Si fideles considerabantur in Ecclesia ut mera membra passiva et ad Hierarchiam in Ecclesia consebatur pertinere quidquid venit nomine gubernii —non exclusa sic dicta potestate oeconomica vel dominativa—, bene quidem intelligi possunt talia principia fundamentalia pro ordinandis omnibus fidelium associationibus. Ultimatum, haec mentalitas oriebatur ex conceptu quod missio Ecclesiae identificabatur cum missione Hierarchiae; et ideo, quando laici —qui membra passiva reputabantur— partes activas agebant in vita Ecclesiae (nempe in apostolatu, in cultu fovendo, etc), intelligebantur hoc facere tamquam adiutores cleri eiusque longa manus. Pari modo, cum principium socialitatis —uti diximus— reponeretur in relatione inter Hierarchiam et fideles, tunc quidem quocumque phaenomenon associativum in Ecclesia logice considerandum erat, licet magno cum errore, tamquam modus peculiaris organizationis Hierarchiae in Ecclesia.

Insufficientia huius conceptionis —per quam ius naturale asso-

ciationis quo fideles pollent non aperte negabatur<sup>2</sup>, sed de facto in suo exercitio reducebatur ad meram facultatem iuridicam a Hierarchia concessam vel recognitam— partim sanata est per notum Decretum S. Congregationis Concilii<sup>3</sup>, ubi fidelibus expresse agnoscitur ius associationis atque possilitas condendi associationes pias “quae sine interventu auctoritatis ecclesiasticae eas per suam approbationem vel erectionem condentis, sed privata tantum conventione piorum fidelium initiae et propagatae, sese devovent et impendunt diversissimis operibus”. Hoc Decretum duxit ad duas species associationum formaliter distinguendas: sic dictas *Associationes ecclesiasticas* vel publicas (a Hierarchia formaliter erectas vel approbatas) et *Associationes laicales* sive privatas (a Hierarchia simpliciter laudatas vel commendatas, carentes tamen clara positione iuridica coram Ecclesia, quia non recipiunt erectionem in personam moralem ecclesiasticae neque approbationem formalem cum attributione quarundam capacitatum iuridicarum).

Non obstante relativa progressionem, quam secum tulit admissio duarum specierum associationum, multa problemata fundamentalia logice insoluta manserunt circa exercitium iuris associationis in Ecclesia, videlicet: modus technicus obtinendi ut in Iure canonico recognoscantur, immo et approbentur —quin earum natura inde mutetur— associationes fidelium sub potestate et regimine privatorum constitutae; necessitas accurate determinandi, ratione claritatis, germanum sensum iuridicum verborum *erectio*, *approbatio* et *recognitione* associationis ex parte Auctoritatis ecclesiasticae; via ad eligendum criterium magis aptum et theologice congruum quod substituere valeat precariam et insufficientem associationum divisionem hodie vigentem; modus inveniendi formulas iuridicas amplas, capaces quae complectantur, quin eam suffocent, magnam varietatem existentem associationum fidelium, quae quidem associationes limites Codicis superarunt statim post ipsum promulgatum; etc.

Haec vero omnia technice obtineri non poterant intra Codicis sistema, quia, uti iam dictum est, ipsius fundamenta ecclesiologica insufficientia apparebant.

2. Can. 684 CIC id implicite agnoscere videtur, uti opinantur multi commentatores Codicis: cfr. G. ONCLIN, o. c., p. 91 cum nota 96.

3. AAS 13 (1921), p. 139.

## II. DOCTRINA CONCILII OECUMENICI VATICANI II

Principium socialitatis in Ecclesia fundamentum obtinet, iuxta doctrinam Concilii Vaticanii II, super basim doctrinalem claram ac completam: ius naturale associationis habetur ut pars integralis dignitatis cuiuslibet personae humanae<sup>4</sup>, et ius active participandi in missione Ecclesiae consideratur ut pars fundamentalis dignitatis baptismalis christiani<sup>5</sup>.

Animadvertisendum est Concilii textus loqui de participatione in missione *Ecclesiae* haud vero *Hierarchiae*, quia non agitur de missione vel ministerio specifico Sacrorum Pastorum —quod quidem Iure divino eis tantum reservatur—, sed de missione generali et unica totius Populi Dei. “A Christo in communione vitae, caritatis et veritatis constitutus (Populus ille messianicus), ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur, et tamquam lux mundi et sal terrae (cfr. Mt. 5, 13-16), ad universum mundum emittitur”<sup>6</sup>. Re quidem vera, missio Christi sive missio Ecclesiae est missio totius Populi Dei seu omnium fidelium: “Cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit”<sup>7</sup>. Non est ergo missio quae ad unam Hierarchiam pertineat, vel quae possit igitur perfici unice per structuras a Hierarchia creatas ad organizandum et exsequendum suum proprium ministerium: “Sciunt enim Pastores se a Christo non esse institutos, ut totam missionem salvificam Ecclesiae versus mundum in se solos suscipiant, sed praeclarum munus suum esse ita pascere fideles eorumque ministrations et charismata ita recognoscere, ut cuncti suo modo ad commune opus unanimiter cooperentur”<sup>8</sup>.

Notio ergo Populi Dei a Concilio proclamata secum fert ut principium socialitatis in Ecclesia radicetur in unione cunctorum fidelium in ordine ad Ecclesiae finem, de quo fine omnes fideles sunt responsabiles, iuxta propriam cuiusque specificam missionem ecclesiam et iuxta propria charismata. Ius et officium fidelium active partici-

4. Cfr. CONC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes*, nn. 68, 73 et 75; Decl. *Dignitatis humanae*, n. 1.

5. Cfr. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 1, 2, 3, 23 et 25; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9.

6. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 9.

7. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 17.

8. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 30.

pandi in hac missione per baptismum recipitur<sup>9</sup>, ideoque est connaturale cum eorum condicione membrorum Populi Dei: est ius quod fideles ab ipso Christo recipiunt, non est facultas concessa a Hierarchia neque delegatio ab ipsa Hierarchia facta alicuius iuris quod ad eam unice pertineat. Hierarchia utique potest invigilare, impellere ac ordinare, ut omnia recte fiant, sed nequit fidelibus denegare vel difficiliorem reddere adimplectionem missionis eorum eamve substituere et absorbere, quasi agatur de parte proprii ministerii hierarchici.

Haec participatio in missione quam Ecclesia in mundo exsequi debet a fidelibus perfici potest cum per apostolatum individualem<sup>10</sup>, tum praesertim —quia id magis cohaeret cum natura sociali hominis ipsiusque communitatis filiorum Dei<sup>11</sup>— per voluntarias formas associativas, magna varietate finium praeditas<sup>12</sup> et cum ambitu activitatis ac regiminis tum paroeciali ac dioecesano tum nationali et universali<sup>13</sup>. “Questo problema delle relazioni fra Chiesa e mondo —affirmavit Summus Pontifex Paulus VI— viene oggi ad incidere nella coscienza di ogni fedele della Chiesa con la formulazione d'un principio, che il Concilio parimenti ha messo in evidenza, il principio dell'impegno che urge su ciascun cristiano di interessarsi dell'apostolato, di qualche forma d'apostolato, in modo tale che nessun membro della Chiesa sia inerte, nessuno sia ozioso, nessuno sia passivo”<sup>14</sup>.

Ad fovendam facilioremque reddendam hanc actuosam omnium fidelium —et notatim laicorum— participationem in missione totius Populi Dei, solemne Magisterium Concilii clare et expresse proclamare voluit ius liberae associationis in Ecclesia: “Debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata, ius est laicis consociationes condere et moderari conditisque nomen dare”<sup>15</sup>.

Prae oculis habitis rationibus theologicis —Ecclesia prout est Populis Dei— et pastoralibus —videlicet opportunitas stimulandi

9. Cfr. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 1 et passim.

10. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 16-17.

11. Cfr. CONC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes*, n. 25; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 18.

12. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 5-8.

13. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 19 et 22.

14. Alloc. in Audientia generali diei 19 iulii 1967: L'Osservatore Romano, 20-VII-1967.

15. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19.

motus apostolicos sic dictos *de base*— prius expositis, bene intelligitur cur Concilium voluerit explicite fidelibus recognoscere realem possessionem et legitimum exercitium ordinatum *in Ecclesia*<sup>16</sup>, in sinu nempe ipsius Populi Dei, iuris liberae associationis. Maxima ergo claritate apparet e citato textu ius associationis recognitum esse in societate ecclesiastica uti verum *ius nativum* fidelium, haud quidem tamquam ius tantum innixum in condescendentia facta ab ecclesiastica auctoritate, eoque minus ut meram facultatem concessam vel delegatam a Hierarchia.

Haec quidem omnia clare praeterea confirmantur tum ex historia huius textus tum ex responsionibus competentis Commissionis Conciliaris ad *modos* propositos.

Iam in schemate praeparatorio *De fidelium associationibus*, anni 1962, ius associationis configurabatur ut ius in natura sociali hominis innixum: “Proprium est hominis, ac verum ius natura inditum ei competit, ut peculiares associationes cum aliis hominibus ineat ad determinatos fines in commune sociorum vel aliarum personarum bonum persequendos. Ecclesia quoque, inde a prioribus suae institutionis saeculis, plures fidelium associationes fovit”<sup>17</sup>.

Deinde vero, hoc schema inclusum est in schema *De apostolatu laicorum*, ubi hoc ius quoque receptum est: “Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas laicorum in associationibus organizandis, et praesertim in adhaesione eis danda, agnoscatur”<sup>18</sup>. Formula hic adhibita timida erat quibusdam sub aspectibus, quia in textu mentio explicita non fiebat circa exsistentiam alicuius iuris —licet verbum *libertas* aequivalens considerari possit— et verbum *praesertim*, sese referens ad adhaesionem, vim adimebat iuri eas organizandi. Praeterea, in hoc textu nihil dicebatur de consociationibus condendis vel moderandis, sed solummodo de ipsis “organizandis” (hic neologismus duplum sensum habere potest, quia intel-

16. Ecclesiae Magisterium continenter propugnavit ius associationis esse ius naturale in ambitu societatis civilis; attamen, iuxta conceptionem circa Ecclesiam perdurante prima dimidia parte nostri saeculi vigentem modo praevalenti, hoc ius haud facile poterat plene intelligi in ambitu societatis ecclesiasticae.

17. *Schema Decreti "De fidelium associationibus"*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 3.

18. *Schema Decreti "De apostolatu laicorum"*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, n. 13, p. 10.

ligi valet ac si significet consociationes condere et moderari, sed significare quoque potest eas promovere: ideo sensus huius textus non secum fert gressum magni momenti).

Haec formula, sine ulla modificatione, transivit in schema anni 1964, at in relatione explicativa Commissio clare indicavit sensum verbi *libertas*: “Post longam et maturam disceptationem, considerando quod quamvis in iure Codicis Iuris Canonici ius nativum fidelium constituendi associationes in fines supernaturales implicite tantum agnoscat (can. 684), in Decreto tamen S. C. Concilii 13 nov. 1920 diserte affirmatur; Commissio retinere iudicavit textum”<sup>19</sup>. Patet igitur verbum *libertas* in hoc textu intelligendum esse tamquam significans ius nativum.

Non obstante hoc sensu verbi *libertas*, textus modificatus est in redactione diei 28-V-1965, ubi iam apparet verbum *ius* et loco verbi ambiguī *organizare* legitur *condere et moderari*, quibus aliae modifications minoris momenti adiunguntur: “Debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata, ius est laicis consociationes condere et moderari conditisque nomen dare”<sup>20</sup>.

Hic textus nullam passus est modificationem in expensione modorum facta die 20 oct. 1965 et a Concilii Patribus approbata. Commissionis responsa clare exprimunt eius mentem. Modi propositi circa hunc textum sequentes sunt:

“47 — Dicatur “Approbante auctoritate ecclesiastica fas sit laicis...” (2 Patres).

R — Est revera ius pro laicis (cf. De Ecclesia, Cap. IV”).

“48 — Dicatur: “Competentis auctoritatis ecclesiasticae iure integre servato, liberum est...” (1 Pater).

R — Non admittitur. Cf. totum caput V.”

“50 — Dicatur: “Praevia ab auctoritate ecclesiastica approbatione accepta, facultas tribuitur laicis consociationes condere, et eas,

19. *Schema Decreti "De apostolatu laicorum"*, 27 apr. 1964, Typis Polyglottis Vaticanicis 1964, p. 46.

20. *Schema Decreti "De apostolatu laicorum"*, 28 maii 1965, Typis Polyglottis Vaticanicis 1965, n. 19, p. 43. Commissio innititur in animadversionibus E/3339, 3400, 3402 et 3522.

debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata, moderari, conditisque nomen dare” (1 Pater).

R — Hic generaliter tractatur etiam de iis consociationibus pro quibus nec approbatio nec facultas condendi ab Hierarchia requiriatur. Textus iam approbatus maneat”.

“51 — Sumatur textus prior, vel mutetur sic: “Hortantur laici ut sub ductu Hierarchiae catholicae consociationes condant et moderentur” (1 Pater).

R — Hic agitur de omnibus associationibus, etiam de iis quae omnino non sub ductu Hierarchiae sunt. Cf. cap. V. Maneat textus”.

“52 — Loco “ius” dicatur “facultas” (1 Pater).

R — Est revera ius”<sup>21</sup>.

Consequentia nostris diebus in sua luce ponenda haec videtur esse, quod initiativa pro formatione harum associationum iuridice competit praecise laicis. Haec initiativa —quae absdubio impelli potest per consilia— constituit aliquod ius, et proinde Hierarchia, si requisita a iure statuta adimpleantur, recognitionem harum associationum denegare nequit.

### III. CONSEQUENTIAE DE IURE CONDENDO

Ex iis quae exposita sunt quaedam consequentiae eruuntur, prae oculis quidem habendae ut nova legislatio de fidelium associationibus apte formulari possit. Praecipuae consequentiae hae sunt:

#### 1. *Quoad constitutionem associationum*

“Ius est laicis consociationes condere”. Ut iam dictum est (cfr. supra pag. 6), iurta hodiernum Codicem, actus *constitutivus* associationis, actus videlicet per quem aliqua associatio vitam obtinet in Ecclesia, exclusive competit Hierarchiae<sup>22</sup>. Verum est quidem

21. *Schema Decreti "De apostolatu laicorum"*. 20 oct. 1965. Typis Polyglottis Vaticanis 1965. pp. 101 et 102.

22. «Fidelium associationes, uti iam innuimus, vitam habent per erectionem canonica vel saltem per approbationem ab ecclesiastica auctoritate datam» (S. DE ANGELIS. *De fidelium Associationibus*, I, Neapoli 1959, pág. 7).

associationes generatim ortum duxisse per earum membrorum initiativam, attamen non considerabantur existentes —*conditae in Ecclesia*— antequam formalem erectionem vel approbationem a Hierarchia reciperent. Ante hunc actum habebantur solummodo ut mera facta socialia, sine ulla iuridica consequentia.

Concilium autem, agnoscens activitatem fundationalem non esse merum factum sociale sed exercitium alicuius iuris cum efficacitate iuridica inde consequenti, actum constitutivum associationis reponit in ipso facto fundationis ex parte membrorum. Causa efficiens vinculi associativi —id nempe quod *constituit* associationem— non est auctoritas ecclesiastica, sed concurrens voluntas fidelium qui consolantur.

Uti par est, Hierarchia iure gaudet officioque adstringitur ordinandi ad bonum commune exercitium iuris sese associandi quo fideles pollent. Ordinare igitur potest et debet per aptas leges talem activitatem fundationalem, determinando requisita necessaria sive ad validitatem sive ad liceitatem: non potest tamen Hierarchia proprium consensum consensui membrorum substituere (salvis casibus in quibus potestati iurisdictionis talis facultas agnoscatur in negotiis iuridicis, velut in simulatione), neque potest Hierarchia tales regulas statuere quae de facto supprimant vel laedant ius associationis eiusque iuridicam efficacitatem. *Constitutio* igitur associationum fidelium facta est nunc verum negotium iuridicum (autonomia privata, principium consensualitatis), praeter casum associationum quarum fines requirant mandatum vel missionem canonicam, quippe qui fines secum ferant participationem in missione Hierarchiae propria.

## 2. *Quoad moderamen Associationum*

“Ius est laicis consociationes... moderari”<sup>23</sup>. Quaelibet communitas vel associatio exigit potestatem gubernii. In societatibus minoribus talis potestas gubernii vocatur potestas dominativa seu potestas “oeconomica”, differens quidem a potestate iurisdictionis quae competit Statui et, in Ecclesia, Hierarchiae. Haec potestas oeconomica seu dominativa est potestas gubernii circa quosdam aspectus vitae privatae, et ideo correspondet illi sphaerae activitatis personalis quae publica non est. In ambitu ecclesiastico correspondet illis activitatibus

23. CONC. VAT. II. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19.

—vitae interiori, apostolatui personali, relationibus familiaribus et socialibus, etc.— in quibus persona gaudet iusta ac legitima autonomia. Hoc tam verum est, ut doctrina et praxis traditionalis in Ecclesia semper fuerit organa potestatis iurisdictionis non gaudere ex se potestate dominativa. Hoc oritur ex recognitione sphaerae personalis activitatis —quae configuratur per quaedam iura subiectiva ex dignitate ac libertate filiorum Dei promanantia— in qua sphaera fidelis gaudet responsabili autonomia. Praeter casus in quibus principium auctoritatis ab ipsa natura oritur —uti contingit quoad patres et filios—, auctoritas in hac sphaera solummodo produci potest per actum personae quae libere ponitur in tali situatione —matrimonio, associatione, etc.— in qua viget principium potestatis dominativae.

His praesuppositis, si fideles adunantur in associationibus —quarum fines non sint tales qui Iure divino, id est Sacramento Ordinis, uni Sacrae Hierarchiae reserventur—, auctoritas talium associationum non ad Hierarchiam, sed ad ipsam associationem pertinet, eo quod agitur de potestate exercita intra ambitus personales (privatos) autonomos. Ob hanc ipsam causam. Concilium clare affirmat: “Ius est laicis consociationes... moderari”<sup>24</sup>.

### 3. *Quoad dependentiam a Sacra Hierarchia*

Universae associationes submitti debent generali vigilantiae ac iurisdictioni Hierarchiae, eodem modo quo personae singulae eidem vigilantiae ac iurisdictioni submittuntur. Hierarchiae ergo competit<sup>25</sup>:

a) “Principia et subsidia spiritualia praebere”. Associationibus quae id postulent, Hierarchia praebere debet adiutorium spirituale necessarium pro vita supernaturali membrorum, exempli gratia per ministerium Cappellani, Consiliarii, Adsistentium ecclesiasticorum, etc. Praetermittendum tamen non est talibus clericis non conferri missionem gubernii, nam eorum functio est ministerialis, consistens nempe in adsententia spirituali: “Diligenter seligantur sacerdotes apostolatus laicorum specialibus formis iuvandis idonei et apte formati. Qui vero huic ministerio vacant, missione accepta ab Hierarchia, hanc reprezentant in sua actione pastorali; congruas lai-

24. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19.

25. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24.

corum relationes cum ipsa foveant, semper spiritui et doctrinae Ecclesiae fideliter inhaerentes; seipso in alenda vita spirituali et sensu apostolico consociationum catholicarum sibi commissarum impendunt; earum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant”<sup>26</sup>;

b) “Apostolatus exercitium ad bonum commune Ecclesiae ordinare”. Hoc vero duo praesertim secum fert: imprimis, uti iam dictum est, ut Hierarchia per leges aliasque normas moderetur exercitium iuris associationis; deinceps, ut Hierarchia sustineat unitatem in varietate apostolatus, in ambitu paroeciali, dioecesano et universalis<sup>27</sup>;

c) “Ut doctrina et ordo serventur invigilare”. Invigilare nempe (quod non est sese immiscere in regimine *interno* associationum) ne errores doctrinales irrepant (functio Magisterii) utque liber processus activitatum socialium fiat intra ambitum observantiae debitae ad iura aliarum personarum sive physicarum sive moralium.

Uti patet, generalibus iis manifestationibus debitae relationis cum ecclesiastica auctoritate aliae iuridicae determinations adiungi debent si de associationibus agatur quae, ratione finis quem persequantur, mandatum vel missionem canonicam a Hierarchia recipere debeant (cfr. infra, n. 5).

#### 4. *Quoad fines Associationum*

Concilium Oecumenicum non solum amplificat enumerationem finium contentam in canone 685 CIC, sed etiam considerat finem apostolicum ut basim et fundamentum associationum laicorum, ita ut ipsa opera misericordiae et caritatis considerentur velut manifestationes apostolatus exempli (testimonii): “Magna invenitur varietas in apostolatus consociationibus; aliae finem generalem apostolicum Ecclesiae sibi proponunt; aliae modo particulari fines evangelizationis et sanctificationis; aliae fines animationis christianaे ordinis temporalis persequuntur; aliae speciali modo per opera misericordiae et caritatis testimonium Christi praebebent”<sup>28</sup>. Absdubio

26. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 25.

27. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 17; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 26.

28. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19.

hic textus Concilii novitates magni momenti secum fert in ordine iuridico, sociali, theologico et ascetico relate ad laicorum associationes. Magna amplitudo horum finium, ideoque et associationum, bene intelligitur prae oculis habendo alias affirmationes eiusdem Decreti. Sic, in Decreto agitur de associationibus —quibus praecipuum momentum tribuitur: “illae imprimis considerandae sunt”— quae “intimorem unitatem inter vitam practicam membrorum et eorum fidem fovent atque extollunt”<sup>29</sup>, quod profecto implicat media ascetica ad nostra usque tempora iis associationibus fere ignota. Consideratur etiam in Decreto, ut factum possibile et iam existens, quod associationes laicorum adsint cum spiritualitate propria ac peculiari: “Praeterea laici, qui suam vocationem secuti, nomen dederunt alicui ex associationibus vel institutis quae ab Ecclesia approbata sunt, pariter peculiarem notam vitae spiritualis ipsis propriam fideliter induere conantur”<sup>30</sup>. Omnia haec aliaque id genus ostendunt necessitatem legislationis quae amplior sit atque ditior quam legislatio contenta in canonibus 684-725 CIC, qui quidem canones nostris diebus plene superati dici possunt.

Animadvertisendum quoque est fines a Concilio enumeratos per se ipsos non superare ambitum illius activitatis laicorum quae permanet intra sphæram propriae eorum autonomiae ac responsabilitatis: de activitatibus agitur quae perficiendae sunt sub generali iurisdictione ac vigilantia Hierarchiae et cum auxiliis spiritualibus quae Hierarchia associationibus præbeat —cfr. supra, n. 2—; iam autem vidimus quomodo ipsum Concilium huic necessitati providet servatis autonomia et charactere harum associationum propriis. Propter hanc ipsam causam tales associationes vocari possunt *privatae*, si tali nomine intelligantur associationes in quibus laici coadunantur ad perficiendas suas specificas activitates apostolicas. Hae activitates sunt re vera aspectus illius participationis quam laici, per baptismum, recipiunt in missione totius Populi Dei —cfr. supra, II—; circa hos autem aspectus laici habent directam responsabilitatem, et ideo eos exequi debent cum iusta et legitima autonomia, quamvis profecto sub generali iurisdictione auctoritatis ecclesiasticae<sup>31</sup>.

29. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 22.

30. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 4.

31. Exempli gratia, potest Hierarchia statuere quandam organizationem caritatis, vel centra adstantialia vel Universitates, etc., quae, isto in casu, erunt pars apostolatus hierarchici (erunt nempe institutiones et corporationes iuris publici); sed laici etiam

Duo tamen adsunt casus in quibus laicorum associationes —earum nempe fines ac regimen— assumere possunt quendam characterem publicum, licet modo diverso in utraque hypothesi: duo hi casus sunt mandatum et missio canonica.

##### 5. *Quoad mandatum et missionem canonicanam*

“Potest insuper ecclesiastica auctoritas, propter exigentias boni communis Ecclesiae, ex consociationibus et inceptis apostolicis immediate finem spiritualem intendentibus, aliqua eligere et particulari modo promovere in quibus speciale assumit responsabilitatem”<sup>32</sup>. His verbis sancitur possibilitas mandati, cuius natura, in eius aspectu magis nucleari, statim describitur a Decreto *Apostolicam actuositatem*: Hierarchia aliquam apostolatus formam cum suo munere apostolico arctius coniungit, “servata tamen utriusque propria natura et distinctione”<sup>33</sup>. Ideo, hoc in casu, associatio —vel organizatio apostolica— servare pergit suum proprium characterem, proindeque et suam legitimam autonomiam, sed activitas peracta considerari debet —quatenus est obiectum mandati— ut cooperatio directa et immediata ministerio proprio Hierarchiae praestita. His in casibus, licet Hierarchia non possit neque debeat sese immiscere in regimine interno associationis vel adversari legitimis initiativis —“nec proinde laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi”—, congruit quidem ut ipsam Hierarchia normas directrices condat, etiam sub forma veri praecepti, pro exsecutione actionis apostolicae associationis. Haec specialis dependentia est effectus iuridicus magis directe oriens ex mandato. Si organizatio apostolica —sive sponte sese offerens sive ad hoc invitata<sup>34</sup>— mandatum hieraticum recipit ad directe cooperandum cum apostolatu Hierarchiae proprio, dubium non est quin Hierarchia speciale responsabilitatem assumat, quam quidem speciale responsabilitatem specialis etiam potestas directiva comitatur.

possunt talia opera statuere quae, isto in casu, erunt institutiones et corporationes iuris privati, quarum regimen internum pertinet ad earum organizatores, sine detimento competentiae propriae potestatis iurisdictionis. Hic amplius campus patet pro nova legislatione.

32. CONC. VAT. II. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24.

33. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24.

34. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 20, d).

Hoc magis evidens adhuc fit quoad illas associationes quas ipsamet Hierarchia instituat eum in finem ut cum proprio apostolatu cooperentur<sup>35</sup>.

Missio canonica, sive actus ecclesiasticae auctoritatis per quem laicis commendantur quaedam officia ex se ad clerum pertinentia, conceditur praesertim personis singularibus, sed nihil obstat quominus et aliqua organizatio condatur (exemplum esse potest Opus pro Catechistis, de quo in Decr. *Ad gentes*, n. 17). Agitur his in casibus de organizationibus iuris publici quarum regimen plene competit Hierarchiae, nam “hisce in casibus laicus agit tamquam instrumentum auctoritatis ecclesiasticae, vere participat apostolatum hieraticum, sed, cum agatur de activitate ad laicum non pertinente, plene dependet ab auctoritate delegante in exercitio sui munera”<sup>36</sup>. His in casibus missio recidit in personas, et opera sunt media ad providendum necessitatibus earum.

Exsistunt pariter phaenomena associativa specifice condita ad exercendas activitates quae sunt obiectum missionis canonicae: his in casibus affirmari potest ipsam associationem recipere missionem canonicam —membra autem mediante associatione—, quapropter integre etiam pendent a Hierarchia. Hoc contingit, ex. gr., quoad Confraternitatem Doctrinae Christianae. Agitur in casu de corporationibus sive associationibus iuris publici quae, uti par est, omnino pendent a competenti ecclesiastica auctoritate.

#### 6. *Quoad species Associationum*

Uti iam dictum est —cfr. supra, p. 7—, duae species associationum fidelium hodie distinguuntur: *ecclesiasticae* nempe sive publicae (a Sacra Hierarchia erectae vel approbatae) et sic dictae *laicales* seu privatae (quae a Hierarchia tantum laudatae vel commendatae sunt). Piores habent statutum canonicum in Ecclesia recognitum. haud vero alterae.

Hodie vero —cfr. supra, n. 1— possibile est et necessarium ut Hierarchia agnoscat etiam existentiam in Ecclesia illarum associa-

35. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 20.

36. Cfr. *Schema Decreti "De apostolatu laicorum"*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, nota 3 tit. II, cap. I, n. 19, p. 16.

tionum quae libera fidelium initiativa constituantur, quin haec tamen recognitio ita modificet naturam talium associationum, ut fiant publicae sive ecclesiasticae. Quaenam autem esse debet natura illius actus hierarchici? Si Concilii terminologiam perpendamus —adhibetur enim verbum *agnoscere*—, quae coincidit cum terminologia habituali iuristarum pro casibus iis similibus, patet heic agi de actu Hierarchiae per quem, intra ambitum canonicae ordinationis, effectus iuridici agnoscantur actibus legitimis autonomiae privatae, et notatim legitimo exercitio —libero ac ordinato— iuris associationis.

Hoc autem minime significat eosdem effectus semper tribuendos esse: ipse enim textus Concilii —cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24— providet diversos gradus horum effectuum, qui ultimatim sunt expressio formarum quas associationes induere desiderant ad suam missionem efficaciter adimplendam. Genericae hae species associationum sunt: a) incepta apostolica implicite recognita; b) associationes explicite recognitae; c) associationes cum mandato vel missione canonica.

Hoc modo Concilium in memtem revocat convenientiam ut formae iuridicae associationum fidelium, quae legaliter agnoscantur, non statuantur ratione finium —uti contingit in vigenti CIC—, sed imprimis attento regimine legali quo regantur. Hoc enim regimen legale pendet a natura propria uniuscuiusque associationis quae, sua vice, determinabitur non solum a fine vel finibus associationis, sed etiam a forma concreta iuxta quam associatio hos fines persequatur, propter voluntatem concurrentem Hierarchiae et membrorum associationis, etc. De facto, nimia rigiditas classificationis ratione finis quae in Codice statuitur, inter causas recensenda est ob quas phaenomena associativa maximi momenti habere non potuerunt statutum iuridicum in Ecclesia, saltem iuxta Codicis systema: hoc evenit quoad Instituta Saecularia, Actionem Catholicam, Organizaciones Catholicas Internationales, etc. De facto quidem associationes quae permanent intra ambitum systematis Codicis illae sunt quae —salvis profecto laudabilibus exceptionibus— profunda renovatione hodie indigent, propter earum defectum adaequationis ad hodierna adiuncta atque ad necessitates apostolicas.

Quin descendamus ad concretas determinationes iuridicas, quae quidem limites hujus laboris superant, necessarium videtur ut per

summa capita consideremus quaenam esse debeant natura iuridica et regimen trium specierum associationum fidelium quas supra citavimus. Censemus enim hanc esse unicam viam ad proponendam legislationem de associationibus fidelium in genere quae sit satis ampla et simul accurata quoad terminologiam.

#### IV. DE DIVERSARUM SPECIERUM ASSOCIATIONUM NATURA ET STATUTO IURIDICO

##### 1. *Incepta apostolica implicite recognita*

Phaenomena associativa quae hic respicimus hanc notam habent, quod pertinent ad categoriam coetus potius quam ad categoriam corporum socialium, sunt nempe uniones personarum quae eosdem persequuntur fines easdemque activitates exercent. Haec est figura quam habent *coram Ecclesiae ordinatione*, quia nihil impedit quomodo constituentur qua societas coram ordinatione statali. Iuridice locus non adest pro erectione neque pro approbatione, quia tunc Associationes huiusmodi eo ipso transirent in secundam speciem, fierent videlicet associationes explicite recognitae. At vero significatne hoc tales associationes esse iuridice non existentes nulloque modo agnitas ab Ecclesiae Iure?

Ad normam CIC responsio est nullam adesse recognitionem, nam in can. 686 § 1 taxative statuitur: “Nulla in Ecclesia recognoscitur associatio quae a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata non fuerit”. Attamen in textu Concilii contrarium legimus: “Plurima enim inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica quae laicorum libera electione constituuntur et eorum prudenti iudicio reguntur. Huiusmodi inceptis in quibusdam adiunctis missio Ecclesiae melius impleri potest et proinde ipsa non raro ab Hierarchia laudantur vel commendantur”<sup>37</sup>. Hic textus clare affirmit in Ecclesia agnosci incepta apostolica, phaenomena nempe associativa quae non sunt erecta neque approbata. Textus per se patere videtur, sed res fit adhuc magis evidens ex responsione Commissionis ad modum n. 22, quem unus Pater Conciliaris exhibuit: “22 — Omittatur in Ecclesia, quia

37. CONC. VAT. II. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24.

statum iuridicum in Ecclesia non habent. R. — Non admittitur; possunt enim esse *in Ecclesia* sine proprio statu iuridico”<sup>38</sup>.

Quid vero significant verba *in Ecclesia*? Significant agi in casu de phaenomenis associativis ecclesialibus, de unionibus nempe quas laici constituunt, qua membra Ecclesiae sunt, ad suam missionem ecclesiale adimplendam. Non habent *statum iuridicum proprium*, eo sensu quod carent statuto iuridico qua entia diversa a summa membrorum: non sunt institutiones canonicae seu, aliis verbis, hae associationes non constituunt subiectum iurium et obligationum diversum a personis physicis quae associationem efformant. At praetermittendum non est ordinationem iuridicam, agnoscendo ius quo fideles gaudent sese coniungendi et associandi, eo ipso agnoscere ipsos fideles agere posse in solidum in suis actionibus solidariis. In concreto, iuridica ordinatio recognoscit exercitium in solidum eorum iurium quae singulis fidelibus associatis competit. Nisi id ita esset, partim solummodo agnosceretur ius associationis, quod non tantum significat ius constituendi corporationes, sed etiam ius agendi coniunctim in ambitu sive iuridico sive sociali. Existit igitur, ex parte ordinationis canonicae, quidam gradus agnitionis associationum —implicite quidem contentus in ipsamet agnitione iuris eas constituendi *in Ecclesia*— cuius praecipui effectus sunt: a) agnoscitur ius constituendi has uniones, quod ius protegitur per omnes recursus legales a iure admissos adversus possibles laesiones; b) vocari possunt “catholicae” cum permissione Hierarchiae; possunt pariter laudari vel commendari, quae laudatio vel commendatio sunt veluti testimonium authenticitatis activitatum talis associationis; c) officium Hierarchiae est eis praebere necessaria principia ac subsidia spiritualia, ordinare earum activitates ad bonum commune Ecclesiae et invigilare ut doctrina servetur atque ordo vigeat: associationi ergo correspondet opportunum ius petitionis et officium oboedientiae; d) eis agnoscitur autonomia in directione suarum activitatum, in designatione eorum qui muneribus fungentur, in regime oeconomico, etc.

Modus practicus exercendi in solidum iura quae competit singulis fidelibus associatis multas solutiones admittit, quae analogiam prae se ferunt cum figuris similibus iuris saecularis: a sic dicto *trust*

38. Schema Decreti “De apostolatu laicorum”, textus recognitus et modi, Typis Polyglottis Vaticanis 20 oct. 1965, p. 118.

iuris anglosaxonici usque ad figuram mandatarii in ordinationibus iuridicis iure romano innixis.

## 2. *Associationes explicite recognitae*

Associationes de quibus hactenus egimus implicite agnoscuntur a Iure; haec tamen recognitio —uti vidimus— habet effectus limitatos ac determinatos, quos inter non recensetur constitutio alicuius entis.

Contra vero, ubi agitur de associatione explicite recognita adest profecto creatio novi entis (constituti vel non constituti ad modum corporis organici), creatio nempe institutionis quae aliquo modo differt a personis physicis eam libere constituentibus. Unio personarum, activitatum atque finium acquirit characterem institutionis.

Recognitio igitur est semper singularis, eo sensu quod unaquaque associatio hanc recognitionem recipit in momento suae creationis. Iuxta Codicis sistema haec recognitio, vim habens constitutivam, fit per actus administrativos: per approbationem et erectionem. Attamen, perpensis mutationibus hac in materia a Concilio inductis —cfr. supra III, n. 1—, possibilis nunc est recognitio via legali, videlicet ex ipso iuris praescripto, ita ut satis sit quod associatio necessaria requisita legalia adimpleat. Ceterum, hoc sistema bene concordare videtur cum ambitu possibilitatum quas Concilium relinquit, quippe quod consulto vitaverit quaestiones iuridicas particulares et, in concreto, noluerit restringere ad approbationem et erectionem omnes possibilites regulationis technicae huius materiae. Hoc eruitur ex ipso textu conciliari, ubi facile mentio fieri potuisse horum duorum actuum (sicut fit prius quoad laudationem et commendationem, et postea quoad mandatum et missionem canonicam). Id vero confirmatur ex responsione data a competenti Commissione conciliari ad *modum* 29, ab uno Padre propositum: “Dicatur *approbantur* vel *eriguntur*, quia vox *agnitio* aequivoca est. R. — Non admittitur; determinatio ulterior iuridica in textu de industria vitatur”<sup>39</sup>. Ex hoc sequitur textum conciliarem consulto amplum esse, ut in ipso includi possint omnes formulae technicae possibles circa modos huius recognitionis.

39. *Schema Decreti "De apostolatu laicorum"*. Textus recognitus et modi, Typis Polyglottis Vaticanis 20 oct. 1965, p. 119.

Si forte expedire videatur —ob rationes prudentiae— ut accura-tiores cautelae statuantur pro recognitione ex ipso iuris praescripto, tunc adhiberi potest sistema coniunctionem servans cum systemate nunc vigenti in CIC, at mutato eius sensu. **Ex. gr.**, approbatio statutorum ex parte Hierarchiae statui potest ut requisitum pro recogni-tione. Hoc tamen in casu ius associationis quo fideles gaudent sequen-tibus mediis protegendum est: a) clarum esse debet actum constitu-tivum pertinere ad fideles, Hierarchiae autem reservatur approbatio, nempe recognitio, sensu supra indicato; b) necessarium est ut tem-pus pro responsione taxative statuatur, per applicationem —si casus ferat— sic dicti silentii administrativi, ne legitimum ius fidelium laedatur adhibito systemate non respondendi; c) iure quoque deter-minanda sunt illa requisita quae, si adimpleantur, efficiunt ut asso-ciatio sit legitima, ita ut arbitaria denegatio locum habere non pos-sit; d) haec omnia compleri debent per opportunos recursus.

Recognitio iuridica sic concessa secumfert ut iura et officia ha-beant novam illam entitatem canonicam ut subiectum inhaesisionis, ita ut relationes cum Hierarchia configurentur ut relationes Hierar-chiam inter et associationem. Ideo associatio fit destinataria norma-rum canonicarum et actuum administrativorum, ideoque et subiec-tum situationum iuridicarum. **Ex. gr.** associationes gaudere possunt iure praecedentiae (can. 701) et in genere obtinere iura, privilegia, indulgentias aliasque gratias (can. 692).

Iuxta Codicis systema approbatio et erectio sunt actus constitu-tivi, qui afficiunt ipsam exsistentiam associationis. Approbatio autem et erectio non sunt actus invicem complementarii, sed eandem natu-ram habent licet valore diverso polleant: utraque enim associationem constituunt, at cum diversa vi et efficacitate. Approbatio est actus constitutivus plenos effectus secum ferens. Hoc vero carere videtur sensu post Concilii textus promulgatos. Ut pluries iam diximus, *actus constitutivus est actus foundationalis membrorum*; ideo appro-batio unice habet characterem recognitionis associationis, sed haec recognitio non modificat, neque est cur modificare debeat naturam associationis privatae qua huiusmodi associationes constituuntur. Talis enim recognitio non significat attributionem mandati vel mis-sionis canonicae ex parte Hierarchiae.

Ideo, sub aspectu Hierarchiae, actus praecipuus est approbatio,

quae compleat cyclum constitutivum associationis. Postquam approbata est, associatio qua talis iam possidet plenitudinem vitae et existentiae, proindeque locus non adest pro actu successivo. Capacitas possidendi bona ecclesiastica est solummodo aspectus instrumentalis, qui multis in casibus necessarius non erit, propter characterem privatum et laicalem quem habent activitates harum associationum<sup>40</sup>. Erectio igitur remanere debet ut actus complementarius auctoritatis, per quem —si associatio id postulet et Hierarchia assentiat— associationi agnoscitur capacitas possidendi bona ecclesiastica. Hoc contingere potest, ex. gr. si aliqua associatio recipiat mandatum vel missiōnem canonicam ad cooperandum modo directo in aliqua activitate pertinenti ad apostolatum proprium Hierarchiae.

Quoad activitates, organizationem et regimen harum associationum, sufficere videntur quae prius diximus: cfr. III, nn. 1, 2, 3 et 4. Sunt associationes privatae, quibus agnoscitur necessaria autonomia interna, sub generali iurisdictione et vigilantia Hierarchiae quoad fidem et mores.

### 3. *Associationes cum mandato vel missione canonica*

Pauca videntur addenda post ea quae dicta sunt in III, n. 5. Agitur de associationibus quae, cum invitentur ad assumendum mandatum vel missionem Hierarchiae aut directe constituantur ab ecclesiastica auctoritate ad hunc finem obtinendum, induunt characterem partialiter vel plene publicum. Videlicet, si prius erant associationes privatae, sive ecclesiiales<sup>41</sup> ex iis quas sub nn. 1 et 2 descripsimus, ex hoc fiunt associationes ecclesiasticae sive iuris publici; si vero ab ipsa Hierarchia directe conditae sint, inde a primo momento constituuntur et eriguntur ut tales associationes ecclesiasticae.

40. Earum patrimonium esse debet privatum. Numquam praetermittendum est has associationes non exercere activitatem *ecclesiasticam* —nempe officialem et publicam, Hierarchiae propriam—, *sed ecclesiale* —vicelicit privatam, licet etiam apostolicam—, qua de causa bona temporalia quae ab associatione possideantur non destinantur ad fines ecclesiasticos vel apostolatus hierarchici. Proinde statutum iuridicum horum bonorum postulat aptam regulationem, quae possibilis non est si haec bona habeantur ut ecclesiastica.

41. Optandum videtur ut adhibeatur vox «privatae», nam verbum «laicales», ut oppositum verbo «ecclesiasticae», omnino non congruit, quia etiam laici partem Ecclesiae efformant et habent intra ipsam propriam missionem ecclesiale, diversam a ministerio hierarchico.

Hae associationes, uti iam dictum est, eo constituuntur, ut Hierarchia vel institutiones ecclesiasticae (ex. gr. Ordines religiosi) suam missionem exerceant *mediantibus* laicis (per missionem canonicam) vel erga laicos (ex. gr. Associationes dependentes ab Institutis religiosis ubi laici coadunantur ut religiosi in eos exerceant apostolatum et servitium sacerdotale). In prima hypothesi includuntur institutiones Hierarchiae, cuiusmodi sunt Actio Catholica sensu stricto, Confraternitas Doctrinae Christianae, Opus laicorum missionariorum, etc. Exemplum autem alterius hypothesis sunt Terti Ordines, etc.

Relate ad statutum iuridicum harum associationum, haec prae oculis habenda sunt:

- a) Dum incepta apostolica implicite recognita et associationes explicite recognitae (cfr. supra, nn. 1 et 2) respondent ad ius nativum fidelium, associationes de quibus nunc agimus oriuntur ab actu ecclesiasticae Auctoritatis, ab erectione nempe qua constituuntur ut corporationes Iuris publici. Hoc tamen non obstat quominus Hierarchia fidelibus agnoscat *facultatem* promovendi has associationes et postulandi successivam earum erectionem qua talia entia ecclesiastica;
- b) Cum hae associationes destinentur ad cooperationem immediatam cum apostolatu Hierarchiae proprio, Hierarchiae correspondet non solum generalis iurisdictio et vigilantia —uti contingit quoad associationes privatas seu ecclesiales—, sed etiam directio regiminis interni associationis, designatio eorum qui muneribus fungentur, organizatio activitatum, moderamen disciplinare et administrativum, etc., servatis semper —uti par est— necessariis cautelis ut in tuto ponatur libertas conscientiarum qua membra gaudent (libertas non men dandi associationi, ius libere seligendi proprium confessarium vel conscientiae moderatorem, etc.);
- c) Cum hae associationes sint entia iuridica explicite recognita, ipsae sunt subiectum plenitudine iurium gaudens coram canonica ordinatione: gaudent nempe iure petitionis, recursus, etc. Praeter iura et officia quae competit cuilibet associationi explicite recognitae (cfr. supra, n. 2), associationes de quibus nunc agimus pollent etiam iure possidendi, acquirendi et administrandi bona ecclesiastica, neconon iure exhibendi suas activitates —peractas cum mandato vel missione Hierarchiae— ut *officialiter* et *publice* catholicas.

## V. DE IURE ASSOCIATIONIS CLERICORUM

Dubium non est quin clericci, salvis semper obligationibus ex eorum statu promanantibus, suum nomen dare possint cuilibet associationi fidelium in Ecclesia exsistenti, eodem modo quo possunt inter se associare, ad condendas associationes, publicas vel privatas, a Hierarchia agnitas. Haec semper fuit doctrina et praxis traditionalis in Ecclesia, quia clericci, per assumptionem status clericalis, non amittunt ius naturale associationis.

Ipsum Concilium Vaticanum II hoc principium iterum confirmavit<sup>42</sup>. Hac in re praestat ut recolamus responsonem competentis Commissionis conciliaris, quae reiecit modum ubi postulabatur ut nullae adessent associationes sacerdotales praeter illas quas Episcopi dioecesani conderent vel moderarentur: in reiiciendo modo, Commissio innititur in iure naturali associationis quod correspondet omnibus fidelibus in Ecclesia, etiam clericis: “Non potest negari Presbyteris id quod laicis, *attenta dignitate naturae humanae*, Concilium declaravit congruum, *utpote iuri naturali consentaneum*”<sup>43</sup>.

Vi huius iuris fundamentalis, clericci —sicut ceteri fideles— possunt etiam libere condere associationes vel nomen dare associationibus iam exsistentibus, dummodo agatur de associationibus quae persequantur fines rectos et congruentes cum dignitate status clericalis. Si talis rectitudo finium desit in aliqua associatione, non est dubium quin ad functionem generalem vigilantiae Hierarchiae competit prohibere omnes fideles vel solummodo clericos, quominus tali associationi nomen dent<sup>44</sup>. Legitimitas et ambitus exercitii iuris associationis inter clericos saeculares bene intelliguntur —sine aequivocis, reticentiis vel periculis anarchiae— si prae oculis habeatur distinctio necessario existens et semper observanda inter: a) functionem ministerialem clericci (vincula unitatis cum proprio Episcopo ac Presbyterio fideliter servanda, officia pastoralia ab Episcopo commendata, normas doctrinales vel disciplinares iuxta quas haec officia rite adimplenda sunt, etc.) et b) ambitum privatum vitae personalis clericci (quo

42. Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8.

43. *Schema Decreti "Presbyterorum Ordinis"*, textus recognitus et modi, Typis Polyg'ottis Vaticanis 1965, p. 68.

44. Cfr. CIC, can. 2335 et 2336.

in ambitu clericus, intra generales limites a regula morum et obligationibus proprii status determinatos, libere disponere ac statuere potest relate ad propriam vitam personalem, culturam, rem oeconomiam, etc., vel etiam quoad propriam vitam asceticam et spiritualem) <sup>45</sup>.

Circa hunc ultimum aspectum —ita recipiendo realitates facti atque doctrinam continenter expositam a Magisterio ordinario <sup>46</sup>— Concilium Vaticanum II haec declaravit: “Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, statutis a competenti ecclesiastica auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt” <sup>47</sup>.

Norma huius textus innititur in principiis quae servata sunt a competenti Commissione conciliari atque approbata sunt a Concilii Patribus in Congregatione Generali diei 2 dec. 1965 <sup>48</sup>.

Huiusmodi principia generalia, inter alia, haec sunt:

- a) clerici, sicut omnes fideles in Ecclesia, gaudent iure naturali associationis;
- b) statuta harum associationum recognoscenda sunt a competenti ecclesiastica auctoritate (locali, nationali vel universalis, iuxta naturam iuridicam associationis);
- c) extensio associationum non coarctatur ad ambitum localem vel diocesanum, sed potest etiam esse interdioecesana, nationalis vel universalis. In responsione ad aliquem modum hoc legitur: “Huiusmodi associationes possunt esse non solum interdioecesanae..., sed etiam diffundi valent in plures nationes” <sup>49</sup>;

45. Cfr. *Entrevista con Mons. Escrivá de Balaguer*: Palabra 26 (1967), pp. 19-30.

46. Cfr. ex. gr. PIUS XII, Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia*, 2 febr. 1947: AAS 39 (1947), pp. 114 ss.; PIUS XII, Alloc. d. 8 dec. 1950: AAS 43 (1951), pp. 26 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram*, 29 iun. 1959: AAS 51 (1959), pp. 497 ss.; cfr. etiam PAULUS VI, Litt. Encycl. *Sacerdotalis coelibatus*, 24 iun. 1967, n. 80: AAS 59 (1967), p. 689.

47. CONC. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8.

48. Cfr. *Schema Decreti "Presbyterorum Ordinis"*, textus recognitus et modi, Typis Polyglottis Vaticanis 1965, responsiones ad modos 129, 130, 131, 132 et 133 Capitis II, pp. 68-70.

49. *Schema Decreti "Presbyterorum Ordinis"*, textus recognitus et modi, Typis Polyglottis Vaticanis 1965, responsio ad modum 132 Capitis II, p. 69.

**ALVARUS DEL PORTILLO**

d) eo ipso quod hae associationes tendunt ad fovendam sanctitatem, nullo modo significare possunt detrimentum vinculi communioonis ac dependentiae quo universi sacerdotes cum suo episcopo coniunguntur in exercitio proprii ministerii; immo vero, tales Associationes debent confirmare et roborare hoc vinculum.

Quo magis in tuto ponatur exsistentia requisiti sub d) citati in actu recognitionis statutorum, eo aptius solvi possunt difficultates quas, ante Concilium Vaticanum II, nonnulli invenire censebant cum in exercitio iuris associationis clericorum tum in exsistentia talium associationum. Praeterea, ad confirmandam adimpletionem huius requisiti, semper remanet ius vigilantiae quod Hierarchiae competit, attenta singulis in casibus concreta modalitate iuridica uniuscuiusque associationis.

Animadvertisendum tandem est omnes has associationes clare distingui ab Institutis religiosis, quod quidem accurate prae oculis habendum esse videtur in actuali momento recognitionis Codicis Iuris Canonici. Incorporatio enim ad societas religiosorum praesupponit ex parte cuiuslibet fidelis non solum exercitium iuris associationis —quod, uti vidimus, omnibus competit—, sed etiam voluntatem ipsius fidelis, sive clericus sit sive laicus, amplectendi novum statum, id est acquirendi alium statutum personale in Ecclesia.

**ALVARUS DEL PORTILLO.**